

Varis nominibus ab antiquis designatus Beatitudinis Locus. Hisce usus Paulinus Episcopus Nolanus. Sinus Abrabæ ad eundem Locum indicandum addibitus. Liturgia Jacobæ & Marco tribute, vetuissima quoque Romana, idem confirmant. S. Hilario Sinus Abrabæ Regnum Cælorum significat. Requies, & Requiefere, eadem sensu ab ipso usurpata. Alia Hilarii verba in examen adducta, & ad Catholicum Dogma stabiendum opportuna.

Non levis inter aliquot ex antiquis Patribus dissensio occurrit, ubi agitur de statuendo Loco, in quem Iustorum Animæ abscedentes e Corpore deferantur. Alii Cælum: alii Sinum Abrabæ: isti Locum Quietis: illi Paradisum censem, sive appellant. Paradisus ipse apud aliquos aut ipsum Cælorum Regnum significat, aut saltem in Cælorum regione situs creditur; apud alios in ignota Terræ hujus plaga. Sunt & paucissimi, qui sub Terra, sive in Inferis, non quidem penalibus, ejusmodi Animarum sedes locant. Attamen vel ipsi, qui a Cœlesti Patria illorum Animas interim arcere videntur, eorum Beatitudinem inchoatam, immo prægrandem omnes fere fatentur; ipsamque tunc solum consummandam complendamque arbitrantur, quin Christus Judex cunctos tandem e tumulis excitabit & judicabit. De Loco, inquam, aut gradu Beatitudinis discrepant, non vero de Beatitudine ipsa: ita ut componi facile possit cum eorum placitis Catholicorum sententia, non negantium, quin Felicitas Sanctorum post resumpta Corpora in fine Mundi augenda perficiendaque sit pro meritorum diversitate. Proinde quin apud nonnullos Patres andis hæc nomina *Sinum Abrabæ*, *Locum Piorum*, *Reguim*, *Pacem*, atque alia ejusmodi vocabula; ne puta conclusas ab eis in ignobili quodam Ergastulo Proborum Animas, ubi quodammodo insectorum more per hyemem somno indulgeant: quæ fabella Burneti cerebrum invasit. Namque ibi etiam Felices, & Beatae, ac sine comparatione vivaciores, quam quin illigatae erant Corporibus, vitam apud Deum, & una cum Divino Salvatore nostro nunc transfigere ab ipsis Patribus credebantur. Porro diversæ hac in re veterum opiniones nullo unquam tempore obliterantur, quin usitator, immo, ut ita dicam, communis semper fuerit Christianæ Reipublicæ sententia, minime expectandam esse Iustis Resurrectionem Corporum, ut ad Beatificam Visionem Dei condescendant: quod præsertim Martyribus obtingere, uti jam ostendimus, concordi calculo, & vel ipsis primis Sæculis, Ecclesia Dei pro certo habuit. Discordiam hanc de Loco, in Beatitate vero concordem, graphicè delineasse mihi videtur S. Paulinus Nolanus Episcopus, Martini, Ambrosii, Hieronymi, Augustini æqualis & amicus. Agit ille de S. Claro Presbytero Turonensi, sua æstate vita fundo, in Epistol. xxi. ad Sulpicium Severum, nihil dubitans, quin is ad cœlestem Beatitudinem una cum S. Martino ejus magistro fuerit translatus. Hæc autem de ipso inter cetera ait:

*Nominis ut titulo, sic mentis lumine Clarus
Presbyter hoc tegitur, sed membra cœduca, Sepulcro.*